

Capitulum XIX. Quemadmodum per Palaestinam vel Mesopotamiam summa voluptas est.¹⁾

Cap. XXXVI.

DE INFIRMIS FRATRIBUS.

Infirmitas cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur, quia ipse dixit: »Infirmus fui et visitastis me«, et: »quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis.« Egregium ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus in eo, quod, cum dixit de sanorum coquinae officio deputatis, [et] subjunxit statim de servitio infirmorum deputatis. In illa enim dixit per hebdomadas singulas qualiter sint, et non elegit quosdam, sed omnes. In hoc capitulo elegit servitorem, qui timens Deum sit et diligens. Quae potest, quare dicit *ante omnia*, cum jam superius ita dicit *ante omnia ne, murmurationis malum* et cet. Et similiter non debet videri ambiguum, quia mos est scripturae dicere *ante omnia*, eo quod ejus intentio est ita dicere *ante omnia* de Ulla l'e Facienda, et iterum dicere *ante omnia*, eo quod ejus intentio est ita dicere, quatenus illud, quod dicit agi, nullo modo oblivioni tradatur. Sed sciendum est, quia in aliis locis inferius dicturus est: *ante omnia sane deputentur, unus vel duo seniores, qui circumeant monasterium*. Quamquam dicat S. Benedictus *ante omnia*, tamen in nullo loco dixit *super omnia*, sicut hic dixit, eo quod nulla res ita agenda est, cum tanto studio, quomodo obsequium infirmorum. Nec etiam ipsa ecclesia agenda est cum tanto studio, quanto domus infirmorum. Reddit enim causam, quare, cum subjunxit: *quia ipse dixit: Infirmus fui et visitastis me*. Sciendum est, quia *ante omnia* attinet ad tempus, *super omnia* ad Studium. Sed de quibus minimis vel pauperibus Dominus dicat, cum dicit: *Quod uni de his minimis meis fecistis, mihi fecistis*, B. Hieronymus exponit dicens:²⁾ *»Amen dico vobis, quamdiu non fecistis*

¹⁾ Cassiani de coenobior. instit. lib. 4. cap. 19-22. (Migne, tom. 49. col. 178-188.)

²⁾ Commentar. in evangel. Matth. lib. 4, c. 26.